

06. #2.



INDEX LECTIONUM

IN

LYCEO REGIO HOSIANO BRUNSBERGENSI

PER HIEMEM

ANNI MDCCCLIV—V A DIE XV OCTOBRIS

INSTITUENDARUM.

PRAECEDIT LIC. ANTONII PASCHKE COMMENTATIO: DE RATIONE, QUA GRATIA DIVINA
ET DOCTRINA CHRISTIANA SECUM SUNT CONIUNCTAE.

Brunsb ergae,
impressit C. A. Heyne.

1854



LIBRERIE RECTORUM

LYCEI REGII HOSIANI RECTOR

DR. LAUR. FELDT,

PROF. PUBL. ORDIN. ET NONNULLARUM SOCIETATUM LITTERARIARUM SODALIS.

KSIĄŻNICA MIEJSKA
IM. KOPEŃNIKA
W TORUNIU

~~Biblioteka
Główna~~

9B 1472

LYCEI REGII HOSIANI BRUNSBURGENSIS
RECTOR ET SENATUS
CIVIBUS SUIS

S.

Universae doctrinae christianae, Commilitones carissimi, vix ullum esse dogma videtur, quod magis turbatum impeditumque fuerit, quam id, quod nobis ecclesia de gratia divina credendum proponit, licet ratio, cur id factum sit, non in doctrina ipsa, sed in tardis eorum ingeniis sita sit, qui illud explicare conati sunt. Nimis festinanter sane, nostris potissimum temporibus, multa Christianorum placita, quod inepta essent, atque ad rectae rationis normam inter se conciliari non possent, repudiata sunt, quoniam causae illorum, aliae ex aliis aptae et necessitatae nexae, non illico in oculos incurrebant, philosophique isti adeo sibi imperare non poterant, ut etiam interiorem, eumque praeclare inter se cohaerentem disciplinae christianae contextum investigarent, atque in aspectum lucemque proferrent.

Inter primores et tempore et modo, qui doctrinam de gratia divina propositam conturbarunt implicaruntque, facile Pelagius numeratur, inde quidem ille exorsus, ut gratiam divinam ad salutem aeternam adipiscendam necessariam esse omnino negaret. Libro enim de haeresibus, quem sanctus Augustinus ad Quodvultdeum scripsit, haec sunt, quae legimus: „Hi (Pelagiani) dei gratiae, qua praedestinati sumus in adoptionem filiorum per Jesum Christum in ipsum, et qua erui mur de potestate tenebrarum, ut in eum credamus, atque in regnum ipsius transferamur, propter quod ait Nemo venit ad me, nisi fuerit ei datum a patre meo, et qua diffunditur caritas in cordibus nostris, ut fides per dilectionem operetur, in tantum inimici sunt, ut sine hac posse hominem credant facere omnia divina mandata.“ Post a compluribus amicis, qui fideles candidosque se illi praestabant, admonitus uno pedem retulit gradu, divinum ad divina praecepta observanda auxilium homini adesse concedens. Quale autem auxilium illud fuerit, Augustinus his aperit verbis: „Illam vero gratiam dei, sine qua nihil boni possumus facere, non esse dicunt nisi in libero arbitrio, quod nullis suis praecedentibus meritis ab illo accepit nostra natura, ad hoc tantum ipso iuvante per suam legem atque doctrinam ut discamus, quae facere et quae sperare debeamus, non autem ad hoc per donum Spiritus sui ut, quae didicerimus esse facienda, faciamus. Et c.“ Libroque suo de gratia Christi c. 7. e Pelagii ore haec sunt, quae profert

Augustinus: „Adjuvat enim nos deus per doctrinam et revelationem suam, dum cordis nostri oculos aperit; dum nobis, ne praesentibus occupemur futura demonstrat; dum diaboli pandit insidias; dum multiformi et ineffabili dono gratiae coelestis illuminat.“ Ad quae idem In his omnibus, adjicit, non recessit a commendatione legis atque doctrinae, hanc esse adjuvantem gratiam diligenter inculcans, et hoc exsequens, quod proposuerat, quum diceret: sed in dei esse adiutorio confitemur. Denique dei adiutorium multipliciter insinuandum putavit commemorando doctrinam et revelationem et oculorum cordis adaptionem et demonstrationem futurorum et apertionem diabolicarum insidiarum et multiformi atque ineffabili dono gratiae coelestis illuminationem ad hoc utique ut divina praecepta et promissa discamus.

Atque haec quidem respicientibus dicendum nobis est, Pelagium, ut omnia uno complectamur verbo, ita tantum locum reliquisse gratiae, ut rationem, non vero ut voluntatem juvaret. Nihil utique aliud oratoriae illae amplificationes apertionis oculorum cordis, illuminationis gratiae coelestis et demonstrationis futurorum declarant. Hominem, postquam is intellexit, quid sibi sit agendum, libero arbitrio satis juvari putat Pelagius, ut quod intellexit, perficiat. Alio auxilio homini non esse opus, neque illud ei a deo impertiri. Gratiam igitur ad rationem modo, non vero ad voluntatem pertinere. Augustinum quoque rem sic accipere, l. c. cap. 8. ostendit. „Hinc itaque, ait, apparet, hanc eum gratiam confiteri, qua demonstrat et revelat deus, quid agere debeamus, non qua donat atque adjuvat, ut agamus.“ Istam vero Pelagii sententiam iudicio non satis accurately summopere laborare, primo obtutu perspicui potest. Opus deo indignissimum, quia semiperfectum, hic ei attribuitur; quod jam ut refellat Augustinus, omnibus fidei suae viribus admittitur, ratione nos, quamvis omni dispulsa ex illa caligine, ad leges divinas servandas minime adjuvari, imo impediri, nisi voluntas a deo sublevetur, justissime asserens. Ad mentem Pauli apostoli Rom. 4, 15. ratio nos potius ad violandam inducit legem divinam; nesciremus enim concupiscentiam, nisi lex diceret Non concupisces. Isto igitur modo aucta humanae mentis scientia tantum abest ut sit gratia, ut potius eam nobis imprimis necessariam esse perspicue ostendat.

Sed quae Paulus apostolus Phil. 2, 13. pronuntiat: „Deus est, qui operatur in nobis et velle et perficere“ Pelagium denuo ut pedem referret, commovisse dicere quis posset. Et voluntatem gratia juvari fassus esse videtur, id quod sanctus Augustinus e libro ejus tertio pro libero arbitrio haec referens demonstrat: „Operatur in nobis velle, quod bonum est, velle, quod sanctum est, dum nos terrenis cupiditatibus deditos et mutorum more animalium tantummodo praesentia diligentes futurae gloriae magnitudine et praemiorum pollicitatione succendit, dum revelatione sapientiae in desiderium dei stupentem suscitatur voluntatem, dum nobis suadet omne, quod bonum est.“ Ad verba autem: „dum nobis suadet omne, quod bonum est“ haec annotando: quod Pelagius alibi negare non metuit“ eundem id aliis locis negavisse docet Augustinus, dubitareque licet, num ingenue dixerit, quid ipse ea de re senserit. Sed et l. c. cap. 37. multis epistolae Pelagii ad Demetriadem scriptae locis sibi ipsum contradicere refert Augustinus.

Cetera, quae Augustinus l. c. de gratia divina disserit, praeterire nos posse duximus, id tantummodo observantes, quod qui deum velle in nobis operari dicunt, perficere quoque in nobis operari eo ipso confiteantur necesse est. Perficere enim quum non consequitur, et velle jam non adesse satis

manifestum est, dummodo ea, quae fieri possunt, agere nos velle intelligimus. De ejusmodi vero solum actionibus, quae effici possunt, in doctrina christiana agi, omnes norunt. Quae fieri non possunt, nulla nobis lege christiana imperantur. Occurri quidem hic nobis ab apostolo quis existimare posset dicenti Rom. 7, 18. „Velle adjacet mihi, perficere autem bonum non invenio“ adeo ut quis rem velle posset, quin eam perficeret. Sed haec ita solum opponi nobis possunt, ut locus allatus ex orationis, qua continetur, contextu deripiatur, solitariusque nobis proponatur. Continentem orationem respicientibus apostolus hanc hominis conditionem nequaquam veram, sed miseriam esse ostendit, in quam homo incidere, si gratia careret. Loco allato vv. 24. 25. ipse adjumentum illud indicat, quo ex ea erepti sumus, gratiam nimirum divinam per Jesum Christum. Et Paulus itaque hoc loco consentit, eum qui vult bonum, illud quoque efficere. Velle si quis quaedam, quae jubentur, posset, perficere vero non posset, jam in ea, quae effici non possunt, obstricti essemus, quod absurdum est. Possitne vero quis etiam nolle contempta gratia, ecclesia jam dudum dijudicavit. Utcunque gratia divina lex ea est, sine qua bonum perficere non possumus, rejici tamen potest, quum gratia necessaria nobis quidem, sed non ea sit, cui resistere non possemus. Volens quod bonum est, per gratiam volo, nolens gratiam repudiando nolo, neque efficio. Ad procurandum bonum et gratia divina et humana voluntas requiruntur, solusque si deus esset ratio, ad quam rectos mores referri oporteret, hominis extingueretur libertas, absolutaque exoriretur praedestinatio. Ut rem paucioribus absolvamus, lectorem ad Christi parabolam Luc. 8, 5—15. et Moehlerianae Symbolices paragr. 11. ineuntem revocamus.

Sed jam ad eam Pelagii sententiam accedentes, qua doctrinam esse gratiam contendit, etiam huic Augustinum, nec immerito, obstitisse bene novimus. E multis locis rem probantibus eum tantum afferimus, qui libro de gratia Christi c. 31. invenitur. Illo loco postquam Pelagii verba retulit Augustinus, quibus in omnibus operibus bonis divino nos adjuvari semper auxilio confessus est, „Cernitis, addit, itaque pro intellectu, quem vobis Dominus dedit, haec ejus verba solvendae non sufficere quaestioni. Quaerimus enim adhuc, quo auxilio liberum adjuvari dicat arbitrium, ne forte, sicut solet, velit intelligi legem atque doctrinam.“ Quid vero? Simpliciterne et sine omni exceptione Augustinus doctrinam e gratia divina eximit ac removet? Nullane doctrinae ratio habenda est gratiam animo examinantibus de eaque disputantibus? Operis allati c. 13. evolventes Augustinum haec exproponentem videmus: „Haec gratia (vera nimirum, qua agitur non solum ut facienda noverimus, verum etiam ut cognita faciamus, nec solum ut diligenda credamus, sed etiam ut credita diligamus) si doctrina dicenda est, certe sic dicatur, ut alius et interius eam Deus cum ineffabili suavitate credatur infundere non solum per eos, qui plantant et rigant extrinsecus, sed etiam per se ipsum, qui incrementum suum ministrat occultis ita ut non ostendat tantummodo veritatem, verum etiam impertiat caritatem. Sic enim docet Deus eos qui secundum propositum vocati sunt, simul donans et quid agant scire, et quod sciunt agere.“ Palam hoc loco Augustinus doctrinam gratiam esse fatetur, ea tamen adjecta lege, ut illa deus non solas aures hominis tangat, sed etiam in animum, intelligentiam nimirum et voluntatem humanam eam infundat, vitamque ei adspectabilem omnibus inspirare conetur, idque vel per homines ministros suos vel per semet ipsum. Duo itaque sunt, quae nobis gratiam divinam considerantibus sunt distinguenda, primo exterius aliquid, verbum nimirum sive doctrina, tum interius, quod verbo respondeat, divinum, id est collustrans

et fovens animum Spiritus sanctus, Rom. 5, 5., ut verbum, quod audivimus in actionem et vitam transeat aeternam. Confer operis cit. c. 35., ubi Augustinus gratiam adjutorium bene agendi esse dicit adjunctum naturae atque doctrinae per inspirationem flagrantissimae et luminosissimae caritatis. In eandem sententiam Augustinus locum quoque I. Thess. 4, 9. „Ipsi enim vos a deo didicistis, ut diligatis invicem“ explicat. Discere vero intelligi nequit, nisi praecedat docere, quod verbo non adhibito quomodo evenire possit, nemo est qui perspiciat. Eodem modo Augustinus locum quoque Jes. 54, 13. intelligit, ut omnes gratiam accipientes לְמַדְרֵי יְהוָה discipuli domini, dicantur. Magis etiam rem locus Rom. 10, 17. (conf. v. 14.) probat: Ergo fides ex auditu, auditus autem per verbum Christi.“ Quoquo demum hoc loco vocem auditus intelligis modo, vel ut sit ἀκοή, hebraice שְׁמִיעָה, quod si fem. part. pass. esse intelligis: quaecunque audiuntur; si nomen: orationem significat; vel ut sit auditio: fidem apostolus eo loco e dictis nasci indicat, sine quibus auditus evenire non potest, quaeque doctrina sive verbis efficiuntur. Neque sane fidem emortuam, sed veram firmamque hic significat apostolus, cujus summa vitaeque, ut ita dicam, principium est caritas. Et concilium Tridentinum eum locum sic intelligere, e Sess. 6. de Justif. c. 6. facile effici potest: Disponuntur autem ad ipsam justitiam, dum excitati divina gratia et adjuti fidem ex auditu concipientes libere moventur in deum, credentes vera esse, quae divinitus revelata et promissa sunt et c. Neque negare quis posset, eo semine, de quo Luc. 8, 5—15 sermo instituitur, gratiam divinam referri, et tamen v. 11. dictum invenimus: semen est verbum dei. Vide etiam locum I. Thess. 2, 13., ubi eodem modo id quo hominis animus ad fidem movetur, a doctrina christiana repetitur. Locum quoque Gal. 3, 2. in medium afferimus, ubi movens animum christianum Spiritus sanctus ad doctrinam fidei revocatur. Eodem modo verba quoque Joh. 17, 17. accipienda esse manifestum est, quibus redemptorem nostrum precantem invenimus: „Sanctifica eos in veritate: sermo tuus veritas est.“ Verbo itaque dei sanctificemur, id est gratia donemur oportet. Propterea etiam Hebr. 13, 9. doctrinae variae et peregrinae gratiae divinae opponuntur, atque cum noxiis cibis comparantur. Confer quoque Matth. 4, 4. quo loco vita animi humani sive fides viva a verbo dei pendere dicitur. Rom. 1, 16. evangelium Paulus virtutem dei in salutem omni credenti appellat, et Ephes. 4, 29. homo christianus sermonem bonum ad aedificationem fidei proferre jubetur, ut det gratiam audientibus. Confer etiam Joh. 8, 51. 6; 63, 68. Phil. 2, 16. Sed Catechismus quoque Tridentinus, ad rem nostram quod attinet, cognitione dignus est, ubi p. I. c. 10. q. 14. legimus: „Ex origine etiam, quam revelata gratia ab apostolis ducit, ecclesiae veritatem agnoscimus: siquidem ejus doctrina veritas est non recens et c.“ De revelata gratia hic sermonem institui videmus, doctrinaque ecclesiae cum revelata gratia componitur. Propterea etiam Spiritus sanctus, principalis gratiae auctor, in hymno illo ecclesiae nostrae: sermone ditans guttura vocatur, ut nimirum apostoli, Spiritus sancti ministri, generi humano gratiam efficacius impertiant; neque alia de causa eidem primo fidei veritas neque sub errorem subjecta ecclesiae auctoritas tribuitur. Eandem sententiam secutus sanctus quoque Thomas Aquinas Summ. 1. 2. q. 106. art. 1. Lex nova, inquit, principaliter ipsa gratia est Spiritus sancti. — Lex nova est indita homini non solum indicans, quid sit faciendum, sed etiam adjuvans ad implendum.“ Adde denique N. Wisemani opus, quod Germani translatum Lehren und Gebräuche inscripserunt, p. 1. pag. 45., ubi doctrina christiana rivi instrumentique instar habetur, quibus gratia diducatur.

Quae quum ita sint, doctrinam christianam vere exterius quoddam humanaeque menti accessu facile gratiae divinae velamentum atque, ut ita dicam, phaenomenon esse, bono prorsus licet asserere animo. Neque ea rei ratio in ecclesia christiana est solitaria nullaue gaudens fidei analogia. Notum omnibus esse existimò, in ecclesia Christi redemptionem quoque justificationemque nec minus functionum ecclesiasticarum licentiam deinde et sacrificium christianorum, sacramenta atque missionem ecclesiasticam reperiri. Quamnam vero rationem haec ad se rerum momenta habent, quibus ad reparandum genus humanum non magis est opus quam gratiâ? Eandem dico, quam doctrina ac gratia. Ut doctrina gratiae, sic sacrificium christianorum redemptionis, sacramenta justificationis, missio licentiae exteriora sunt quasi involucra. Corpore constamus et animo. Mens humana undique corporibus continetur, illudque potissimum inter hominum spirituumque naturam interesse perspicuum est. Quantumvis autem deus humanam mentem adjuvat, minime tamen id proxime nulloque intercedente, sed rebus corporeis interpositis efficit. Neque in ecclesia interiora tantummodo inveniuntur rejectis exterioribus. Sin minus, non adspectabilem haberemus ecclesiam, quam ne quis contenderet, ecclesia semper obstitit, ne ad arbitriam licentiam omnis aperiretur fenestra. Proxima si dei cum mente humana esset conjunctio, eadem illa cum spiritibus uteretur fortuna; nulla generis humani reparatio, nulla redemptio, justificatio, gratia sacrorumque licentia confici possent. In ipsa enim rerum corporearum varietate multiplicique natura, qua alias aliis plus minus pares esse conspiciamus, quaque mens nostra a spirituum natura distinguenda, adeo est circumdata, ut ne deus quidem ipse eos terminos perfringere velit, situm esse manifestissimum est, ut homo violatae legis culpa lapsus, in integrum restitui possit; quemadmodum eodem naturae corporeae argumento confirmatur, sanctissimum quoque meritis hominem in eadem gravioraque prioribus peccata incidere posse. Der ewige Geist regiert durch die Beweglichkeit der Form, die Allen Alles wird, sunt verba, quae nomine auctoris omissis laudat Beda Weberus. Tum demum, quum mens humana hoc corporis comitatu est soluta, haec fieri posse desinunt, spirituumque oritur simplicitas et quaecumque exinde pendent. Quemadmodum igitur deus redemptionem per sacrificantem, justificationem per ministrantem sacramenta, licentiam sacrorum per mittentem, sic gratiam in nobis per docentem efficit hominem. Intelligebant (Cyprianus et Ambrosius), inquit sanctus Augustinus libro de dono perseverantiae c. 19., paucissimis esse donatum, ut nullo sibi homine praedicante per ipsum deum vel per angelos coelorum doctrinam salutis accipiant, multis vero id esse donatum, ut deo per homines credant . . . Unde supradicti tractatores excellentissimi divinarum eloquiorum et gratiam dei veram, sicut praedicanda est, praedicarunt, id est quam nulla merita humana praecedunt, et ad facienda divina praecepta instanter hortati sunt. Et c. 20. Sicut enim praedicanda est pietas, ut ab eo, qui habet aures audiendi, deus recte colatur; praedicanda est pudicitia, ut ab eo, qui habet aures audiendi, nihil genitalibus membris illicitum perpetretur; praedicanda est caritas, ut ab eo, qui habet aures audiendi, deus et proximus diligatur: ita praedicanda est ista praedestinatio beneficiorum dei, ut qui habet aures audiendi, non in se ipso, sed in Domino gloriatur. Et libro de correptione et gratia c. 14. Patiantur ergo homines se corripit, quando peccant, nec de ipsa correptione contra gratiam argumententur, nec de gratia contra correptionem. Et ibidem c. 3. Praecipit (apostolus), ut habeatur caritas; corripit, quia non habetur caritas; orat, ut abundet caritas. Et sub finem libri: Quae quum ita sint, nec gratia

prohibet correptionem, nec correptio negat gratiam: et ideo sic est praecipienda justitia, ut a deo gratia, ut id quod praecipitur fiat, fidei oratione poscatur: et hoc utrumque ita faciendum est, ut neque justa correptio negligatur.“

Ceterum ecclesia revera exposuit hominem ipsum rem sacramenti operari, neque modo profiteri, eam a deo in coelis perfici. Sanctificat igitur quoque sive gratiam ministrat re ipsa homo, quum docet, non quidem ut auctor dati doni, sed ut dei minister, sicut et terreni domini minister, ejus nomine stipem in egentes conferens, vere confert, neque profitetur solum conferre dominum. Sed contra quis dicere posset, in hominis mente saepissime bonas cogitationes bonosque motus quosdam obori, quibus ad percipiendam colendamque virtutem vehementer adjuvatur, neque in istis quidquam exterioris velamenti instrumentive reperiri. Sed effecerunt jam dudum sanioris philosophiae curae, ut nulla sit cogitatio, ubi non est verbum, fidesque adeo sit ex auditu. Omnis cogitatio, quae animo cogitantis facilis sit accessu atque perspicua, verbis efferatur oportet. Quae pronuntiare non potes, neque cogitasti. Mens, nisi loquitur, semet ipsa non intelligit; neque quod aliis dicendo exprimere nequis, ipse sibi verbis eloqui poteris. Reminisci quidem, recordari sine verbis possumus, non vero cogitare. Merito igitur affirmamus, omne cogitatum, quod animo cogitantis vere adsit, enuntiatum quoque sit oportet, licet sonum non semper auribus excipias. Simul enim te, inquit sanctus Augustinus libro de magistro c. 1., credo animadvertere, etiamsi quisquam contendat, quamvis nullum edamus sonum, tamen quia ipsa verba cogitamus, nos intus apud animum loqui.“ Cogitatum atque effatum duo solummodo praeclare idem declarantia esse vocabula, bene et de Maistre (Soirées de St. Petersbourg) affirmat. Gratia igitur sine verbo impertiri non potest, quamvis minime recte dicatur verbum sive doctrina esse gratia, si quis verbum inanem solummodo vocis sonum vult intelligere. Admonemur, inquit ad rem accommodate sanctus Augustinus Tract. XXIX. 4. in Joh., ut diligamus deum. Totum hoc, quod dixi, syllabae fuerunt, percussum aërem verberaverunt; ut ad sensum vestrarum aurium pervenirent, sonando transierunt. Non tamen illud, quod vos admonui, transire debet, quia ille, quem vos diligere admonui, non transit; et quum transeuntibus syllabis admoniti conversi ad eum fueritis, nec vos transibitis, sed cum manente manebitis. Hoc est ergo in doctrina magnum, altum et aeternum, quod manet, quo vocant omnia, quae temporaliter transeunt, quando bene significant, nec mendaciter proferuntur. Omnia quippe signa, quae proferimus sonis, aliquid significant, quod non est sonus. Non enim duae breves syllabae deus est, et duas breves syllabas colimus, et duas breves syllabas adoramus, et ad duas breves syllabas pervenire desideramus, quae paene ante desinunt sonare quam coeperint, nec in eis secundae locus est, nisi prima transierit. Manet ergo aliquid magnum, quod dicitur deus, quamvis non maneat sonus, quum dicitur deus. Sic intendite doctrinam Christi, et pervenietis ad Verbum dei.“

Quantumvis vero gratia sanctificationem hominis repraesentat, cavendum tamen est, ne ea tantum parte doctrinae Christi gratiam referri existimemus, quam ethicam sive moralem appellamus. Doctrina enim christiana omnibus suis numeris et partibus non docet solum, sed etiam excitat ac commovet, impellit atque adjuvat, sicut idem solis radius, qui illustrat, etiam fovet, licet doctrina dogmatica et moralis non reperiat esse talis, ut quaedam doctrinae revelatae particulae sint dogmaticae, quaedam morales tantum, sed quaecunque doctrinae christianae pars et dogmatica est et moralis. Confer quae

huic sententiae convenienter disputat etiam Hanebergius, *Geschichte der biblischen Offenbarung*, edit. 2. pag. 90. sq. Doctrina igitur exterior quaedam gratiae facies est, non autem solummodo ut morum praecepta tradit, sed etiam ut mentes hominum collustrat. Nec minus Augustinus rationis humanae conformationem ad divinam gratiam pertinere agnoscit; libro enim de gratia Christi c. 13. gratiam ad id quoque destinatum esse dicit, ut ostendat veritatem; deinde gratiam donare quoque vocatis, quid agant, scire; denique ibidem c. 14. gratiam etiam conducere, ut homo, quid faciendum sit, sciat et cognoscendo videat. Vide etiam Conc. Milev. II. c. 4. (quum sit utrumque donum dei et scire, quid facere debeamus, et diligere, ut faciamus.)

Postremo animadvertendum esse duximus, de gratia loquendo eam solam nos nunc intelligere, quam scholae theologicae actualem, non vero quam sanctificantem appellant. Quodsi rem vere iudicamus, universa sane, quae a deo oblinemus, gratiae sunt, quoniam creaturam apud creatorem nihil commerere posse omnes consentiunt. Ceterum haec plane ad mentem Concilii Tridentini intelligimus, quod Sess. 6. de Justif. c. 16. haec habet: tanta est Domini erga omnes homines bonitas, ut eorum velit esse merita, quae sunt ipsius dona: licet idem Concilium eodem capite merita sibi revera comparare renatos posse diserte profiteatur. Aptius tamen sola gratia actualis gratiae nomine, gratia vero sanctificans sive habitualis salus (non eadem ac beatitudo), renatorum justitia similive nomine, ommissa gratia, vocaretur. Inprimis enim ea gratia, quam sanctificantem appellant, in se ipsa quoque ab actuali in eo differt, quod superiores saltem ejus gradus mereri possunt, quodque actualis sanctificantem praecedat oportet, atque alio gaudet phaenomeno, doctrina nimirum, ac gratia sanctificans, cujus sacramenta sunt quasi externa species. Deinde neque id praetereundum est, quod ea rei appellandae ratio multum obscuritatis perturbationisque a doctrina christiana tolleret, in qua prae omnibus aliis scientiis rerum disputatarum perspicuitas est pernecessaria. Perspicuitate veritatem adjuvari nemo non videt, quia arctissimo inter se vinculo eae ingenii orationisque dotes conjunctae sunt. Appellantesque insuper eam gratiam sanctificantem, qua Adamus ante peccatum gaudebat, justitiam vel sanctitatem originalem id quoque impetramus, ut gratiam sanctificantem, qua renati potiuntur, ab ea, quam Adamus obtinuit, verius distinguere discamus. Quantum enim sit alterius cum altera confundendae periculum, idque magno cum theologicae disciplinae incommodo, ipsius Moehleri docemur exemplo. Vide ejusdem Symbolices postremo editae pag. 27. Renatorum sanctitas et justitia non uno ab originali justitia differt modo exiguamque proinde ex illa de hac licet facere conjecturam. Minime enim Adamum ea, qua e manibus divinis prodit, condicione, quamque sanctitatem originalem vocamus, coelestis dignum fuisse beatitudinis dicere possumus. Homo quod a deo e nihilo est conditus, neque coelo dignus erat, eaque adeo dignitas ut ab eo obtineretur, impertienda ei erat. Sed divinae solum voluntatis observantia promerere eam potuit; ut enim homo nullo suo merito illa donetur, divinae repugnat justitiae, adeoque sanctitati, quemadmodum cum eadem pugnat bonitate et sanctitate, ut hominem deus inferorum poenis immerito obnoxium reddat. Omnes deus homines vult salvos fieri, inquit sanctus Paulus I. Tim. 2, 4. Neque vero deus homini coelum inferorumve mala ingenerare potuit, ita nimirum ista ei impertire, ut naturae ejus partes efficerentur; non orci supplicia propter infinitam suam, ut jam probavimus, bonitatem; non coeli beatitudinem, quia tunc coeli gloria homini insita esset natura, id quod de solo deo dici

potest. Τὸ ἑκατέρον τῆς ποιήσεως εἶδος ἀντεξούσιον γέγονε, τ' ἀγαθοῦ φύσιν μὴ ἔχον, ὃ πλὴν μόνον παρὰ τῆς Θεῆς, jam a Tatiano Apol. c. 5. dictum invenimus. Hos bonorum malorumque fines homo, nisi commerendo, non attingit. Ut vero homo regeneratorum justitiam est consecutus, coelo quoque factus est dignus. Baptismo fit haeres secundum spem vitae aeternae. Tit. 3, 7. Quaecunque honeste ab eo fiunt cum baptismi gratia, jam augmentum gloriae ei impetrant, non vero gloriae initium. Vide etiam sancti Augustini Quaestiones veteris et novi testamenti, ubi q. 123. in eo instauratum dicit hominem justificatum, quia peccatis ablutus est, in ceteris melioratum. Et hoc est, pergit idem, haeredem fieri vitae aeternae, Spiritum sanctum accipere, ut quia Spiritus aeternus est, aeternam habeat vitam, qui accipit eum; pignus est enim immortalitatis. Qui enim accipit eum, et manet in ejus dilectione, transacta hac vita pergit in coelos ad eum, cujus Spiritum habet. Et c.⁶ Consentit sanctus Thomas Aquinas Summ. 1. q. 95. art. 1. ad sec. Ad secundum, inquit enim, dicendum, quod sicut Augustinus dicit in eodem libro (Quaestiones et c. ut supra) non negatur, quin aliquomodo fuerit in Adam Spiritus sanctus sicut in aliis justis: sed quod non sic fuerit in eo, sicut nunc est in fidelibus, qui admittuntur ad perceptionem hereditatis aeternae statim post mortem.⁶ Atque haec quidem prior est differentia inter Adami regenerantiumque sanctitatem et justitiam. Sed alterum quoque inter hanc illamque interponitur discrimen, cujus explicationem, licet non minori digna sit curâ, ob loci angustiam ad aliud-reservamus tempus.

LECTIONES.

A. ORDINIS THEOLOGICI.

MICH. JOS. KRUEGER, DR. P. P. O. H. T. DECANUS.

- I. Genesin interpretabitur diebus Lunae, Martis et Mercurii hora IX—X.
- II. Ad Corinthios datas epistolas Paulinas explicabit diebus Jovis et Veneris hora IX—X.
- III. Antiquitates sacras Hebraeorum docebit die Veneris hora III—IV et die Saturni hora IX—X.

ANDR. MENZEL, LIC. P. P. O. DES.

- I. Apologeticen tradet diebus Lunae et Jovis hora II—III.
- II. De Deo uno et trino disseret diebus Lunae, Martis et Mercurii hora X—XI.
- III. Theologiae moralis partem priorem tradet diebus Jovis, Veneris et Saturni hora X—XI.

ANT. PASCHKE, LIC.

- I. Introductionem generalem in libros sacros veteris et novi foederis proponet diebus Lunae et Mercurii hora VIII—IX et die Martis horis VIII—IX et II—III.
- II. Epistolas pastorales S. Pauli interpretabitur diebus Jovis et Saturni hora VIII—IX et die Veneris horis VIII—IX et II—III.

ANDR. THIEL, LIC.

- I. Historiam ecclesiasticam a Constantino M. usque ad Gregorium VII tractabit die Lunae, Martis, Jovis, Veneris et Saturni hora XI—XII.
- II. Jus canonicum tradere perget ter per hebdomadem.

B. ORDINIS PHILOSOPHICI.

LAUR. FELDT, DR. P. P. O. H. T. PRODECANUS.

- I. Introductionem in analysin infinitorum tradet et exercitationes geometricas moderabitur diebus Lunae et Jovis hora XI—XII.
- II. Physicam experimentalem docebit et Conversatorium de rebus physicis instituet diebus Martis et Veneris hora XI—XII.

- III. Astronomiae elementa ita explicabit, ut ab iis etiam, qui mathesi sublimiori discendae non dederunt operam, intelligi possint, diebus Lunae et Jovis h. II—III.
 IV. Theoriam tubi meridiani transportab. secundum Besselii Commentationem: „Ueber den allgemeinen Gebrauch des Passageninstrumentes“ semel per hebdomadem hora XI—XII d. Merc.

MAX. TRUETSCHEL, DR. P. P. O. DES.

- I. Metaphysicam docebit quinquies per hebdomadem diebus Lunae, Martis, Mercurii, Jovis, Veneris hora VIII—IX.
 II. Logicam docebit quinquies per hebdomadem iisdem diebus hora vespertina V—VI.
 III. Aristotelis de anima libros offert interpretandos diebus et horis definiendis.

FRANC. BECKMANN, DR. P. P. E.

- I. Ciceronis de republica libros interpretabitur ter per hebdomadem hora X—XI.
 II. Sophoclis Ajacem explicabit bis per hebdomadem hora X—XI.
 III. Justinii M. apologias interpretabitur bis per hebdomadem horis definiendis.
 IV. Varmiae historiam enarrabit bis per hebdomadem horis definiendis.

WILH. JUNKMANN, DR. P. P. E. DES.

- I. Historiam universalem inde a Christo nato exponet ter per hebdomadem.
 II. Historiam antiquam inde ab Alexandro Magno tradet semel per hebd.
 III. Historiam Coloniarum tam secularium quam ecclesiasticarum enarrabit semel per hebd.
 IV. Historiam poësis Christianorum populorum docebit semel per hebd.

STIPENDIUM SCHEILLIO-BUSSIANUM.

Pro assequendo stipendio Scheillio-Bussiano Commilitonibus Regii Lycei Hosiani proponitur, ut sese accingant lucubrationi:

„De vita et theologia sancti Ignatii Martyris.“

Praemium constitutum est XXI Imperialium. Tempus exhibendarum scriptionum terminatum est d. 4. Jul. MDCCCLV.